



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

39.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

ratione aliqui rectè edicunt; si testator executores constituit, quorum arbitrio & electione legatum in pauperes distribuendum sit, non posse eos hoc mandatum seu fideicommissum alteri committere: secùs si ipsimet testator pauperes, aut Ecclesias nominarit, quibus legata dari debeant.

39. Ex quibus *Infero*, quod Abbas v. g. delegatus ab Episcopo, vel subdelegatus à delegato Papæ ad absolvendum à censurâ excommunicationis, postquam reo audito adeoq; causâ cognitâ, eundem absolvendum esse decrevit, satisfactio- nemq; debitam imperavit, ipsi nudum absolutionis ministerium, pro externo, aut interno foro, alteri Sacerdoti committere possit, *Nav: cap. 27. in man: n. 45.* Item si Vicarius generalis Sacerdoti committat, ut receptis testibus, ac informatione de habilitate personarum, assistat matrimonio earum, licet hanc testium receptionem alteri demandare non possit, cùm sit actus jurisdictionalis; ipsam tamen assistentiam & conjunctionem personarû, quod alteri committere non prohibeatur, do-
cet

cet Sanch: lib: 3. de Matr. disp: 31. n. 20. De
 quo tamen nos merito Dubitamus: ob Tri-
 dentini constitutione in Sess: 24. 1. de refor.
 matr: ubi sic: Qui aliter, quam presente Paro-
 cho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu
 Ordinarii licentia Matrimonium contrahere
 attentabant, eos ad sic contrahendum S. Syno-
 dus inhabiles reddit. Id autem fatemur quod
 idem Author tradit, cit: disp: 11. n. 18. Si
 Ordinarius quicumq; Sacerdoti expressè
 committat, ut si ipsemet assistere nolit,
 aut non possit, alium quemcumq; Sacer-
 dotem designet, validum fore quod agi-
 tur: quia in hoc casu adest licentia Ordini-
 arii, non item in priori casu. *ut sup: concl.*
35. ver: an etiam. Difficultas restat quoad
 subdelegatum; an is potestatem suam ul-
 terius subdelegare possit, agimus autem
 de subdelegato ad universitatem causa-
 rum? *Resp.* Negativè; quia non potest is
 ulterius pergere, quam sit illi à jure con-
 cessum. Atqui ius non concedit, nisi unū
 gradum, scilicet ut delegatus subdeleget,
 & de subdelegato nihil dicit. Ergo nec
 nos debemus plus dare, quam jus, aut
 consuetudo assignaverit. Cæterum sub
 hac

hac

hac forma delegare non prohibetur. De-
 lego tibi hanc causam, & ulterius illi, quem
 tu nominaveris. in hoc enim casu non sub-
 delegat ille, qui subdelegatus est, sed ipse
 delegatus, vel Ordinarius, alter tantum
 nudum ministerium habet nominandi
 personam; sicuti si Princeps, aut Papa di-
 cat: Do *Canonicatum illi quem Petrus nomi-
 naverit*: ille nominatus consequitur Ca-
 noniatum, aut officium, sed non à Petro,
 sed immediate à supremo Principe. Fa-
 tentur etiam pleriq; DD. (licet in contro-
 versia sit, an possit delegatus inferioris,
 qui non potest delegari etiam unum arti-
 culum causæ, quando non est ad univer-
 sitatem causarum delegatus) posse tamen
 delegare articulum nō jurisdictionalem,
 id est in quo subdelegatus non debeat lu-
 dicem agere, sed executorem sine jurisdic-
 tione causæ: quando autem talis sit
 articulus, qui committitur in particulari
 casu, pendet ex arbitrio virorum pruden-
 tum. *Vide Sanch: lib. 3. de matr: disp: 22.*

40. Certum est, quod Regulares. v. g.
 Mendicantes, qui ex Pontificio privilegio
 absolvere possunt Fideles à peccatis, &

cen-